

1.
1.
2.
3.
4.
5.
6.

9217.

1781, 24

DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
SUCCESSIONE STATVTARIA
CONIVGVM

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. O. ECCLES. CATHEDR. MERSEB. CAPITVL. CVRIAE
IN PROVINGIA SVPREM. ADSESSORE, FACVLT. IVRID. SENIORE
ET ACADEM. DECEMV.

PRO SVMMIS IN VTOQVE IVRE HONORIBVS CAPESSENDIS
IN AVDITORIO ICTORVM

A. D. XXV. SEPTEMBR. MDCCLXXXI

PVBlice DEFENDET AVCTOR ET RESPONDENS

CHRISTIANVS ERNESTVS VLRICI

DRESDENSIS.

LIPSIAE
EX OFFICINA LOEPERIA

DISSERTATIO IN ALEXANDRIA

STATIONIS STATAE

CONCIVIS

IN ALEXANDRIA

DE

STATIONIS STATAE

CONCIVIS

IN ALEXANDRIA

DE

STATIONIS STATAE

CONCIVIS

IN ALEXANDRIA

DE

STATIONIS STATAE

CONCIVIS



§. I.

Decreta, quae proprie à particula de et cernendo habent nomen, et de quibus extat titulus in Pandectis, de decretis ab ordine faciendis diuersum habent significatum. Dicuntur quoque statuta, quae vel a capitulo, vel vniuersitate vel maiori parte dantur. Omittam ea, quae circa ciuitates imperii, et municipales forsan essent monenda, cum hac de re Strykius in vsu moderno ad titul. ff. De decretis ab ordine faciendis sententiam optime expresserit, et eius opinio rationibus iuris pariter, quam auctoritate Doctorum satis sit munita. Quod enim statuta ciuitatum imperialium maiorem habeant effectum, quam ea, quae a ciuitatibus municipalibus dantur, omni caret dubio, dummodo potestatem ciuitatum Imperialium ab ea quae competit municipalibus separamus. Si enim verum est quod adserit *Limmaeus de iure Publico l. 7. c. 1. n. 50. Schütz Vol. 1. Disp. 6. th. 8. lit. E. et Disp. 8. th. 23. lit. E.* quod gaudeant superioritate territoriali, haec vero potestatem ferendi leges inuoluat extra dubium statuta, quae ab iis conduntur effectum legis habent, quod vero de ciuitatibus municipalibus dici haud potest,

potest, sunt enim hae in numero subditorum, et cum subditus leges condere nequeat, sed legibus a Principe latis obtemperare debeat, hac potestate penitus destituuntur. Et quamuis statuta, quae germanico vocabulo *Wittfähr* nominamus condant, ea tantummodo ad res administrationem vel iurisdictionem concernentes, spectant, dum enim municipio iurisdictione a Principe concessa, etiam ius circa administrationem vel iurisdictionem tacite concessum videtur, concessa etenim iurisdictione concessa, quoque sunt media, sine quibus iurisdictione exerceri nequit. Quod testatur *Iuolenus l. 2. ff. de iurisdic.* *Cui iurisdictione data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus iurisdictione explicari non potuit.* Id tantum in praesentiarum efficiam, ut quaestiones circa effectum statutorum, quae adhuc dubium mouent, et non penitus sunt decisaee proponam, easdemque clariores reddam.

§. II.

Quaestionem generalem, vtrum statutum contra ius commune conceptum, deficiente Principis confirmatione valeat, ut praemittam, non inutile, nec a scopo nostro alienum videtur, cum ex eius decisione et aliarum quaestionum in foro obuenientium decisionem, eo melius diiudicare possimus. Affirmatiuam sententiam defendit Hommelius in *Promtuarium Iuris Bertochiano T. II, pag. 1840.* et ad confirmandam hanc opinionem ad observationem 273. et 154. ab ipso editam prouocat, sed dubito, an verba quibus in vltima observatione ad decidendam hanc quaestionem nempe *die weil die Einwohner des Städtleins N. seit dem 1729sten Jahre dem Inhalt der Gerichts-Ordnung, welche den Wittwer des*

des verstorbenen Eheweibes Gerade gebilliget, nachgelebet ha-
be, also das darinn enthaltene zu rechtsbeständiger Gewohn-
heit worden, welche denen ausdrücklichen Gesetzen gleich ge-
achtet wird ic. vtitur, decisionem adaequatam efficiant.
Hinc alia procedendum via; et contrariam sententiam, quae
principiis iuris conuenit, veriozem putarem. A lege enim com-
muni recedere, et nouum aliquod statuere nihil aliud est, quam
legem nouam condere. Summae autem potestatis tantum est
imperare. Imperatur autem magna parte legibus. Eas igitur
in manu summi imperii consistere oportet, alioquin nullam
vim habent, nisi muniatur autoritate illius, qui plenitudi-
nem imperii possidet, legis (enim essentia est, quod sit
iuustum a summa potestate promulgatum Confirmat hoc *Z.*
12. C. §. 1. de legibus. In qua lege Iustinianus ex ratione, quod
leges condere soli Imperatori concessum sit, et sententiam
generalem, legis interpretationem solo dignum Imperio esse
defendit. Quod si itaque ex praemissis apparet, municipi-
bus potestatem condere leges regulariter non competere,
dico regulariter, aliter enim sentimus, si eam auctoritatem
summa potestas ciuitati municipali communicauerit, cum prin-
cipi regalia ipsi tantum competentia, priuato concedere, et
eorum exercitium aliis permittere liceat, in apriico est po-
situm statuta, quae recedunt à iure semel constituto, et illud
tollunt, deficiente consensu, quem per confirmationem ex-
pressam declarat Princeps, nullum habere effectum, potius
vsurpationem regalium esse delictum, quod poenam
promeretur adfirmamus. Conf. *Carpz. lib. I. Resp. 48. no.*
14. Nec alienum ab hac sententia inuenies *Wernb. P. III.*
Obs. CCXXIV. cuius rationes in simili casu has communica-
mus. Ob wohl angeführet werden möchte, daß absonderlich
in denenjenigen Fällen, da von der verlassenen Gerade gehan-
delt

dest wird, auf die Gewohnheit desjenigen Ortes, da der Verstorbene sich niedergelassen, und mit ihrem Ehemanne sich aufgehalten, ein Absehen zu richten, und im gegenwärtigen Falle das beygelegte Elbenauische statutum an sich selbst, wie viel allda zur Gerade gehörig, nicht undeutlich. Solch statutum auch auf alle und jede unter des an des Elbenau- und Gommer-Bezirken und Gerichtsbarkeiten sich befindliche Persohnen ohne Unterschied ihres Standes ganz wohl erstreckt werden möge. Demnach aber und dieweil angeregtes statutum euren Berichte nach von der hohen Landes-Obrigkeit nicht confirmiret, ein solches aber auf Sächsischen Boden zu einer gültigen Beständigkeit der Statuten schlechterdings erfordert wird.

§. III.

Cum igitur in presentiarum sit animus de effectu statutorum circa successionem coniugum differendi, prima erit hae de re quaestio. Vtrum statuta ad bona coniugum extra civitatem sita, casu obueniente admittant extensionem vel an potiori iure restrictio sit adfirmanda. Non deficiunt, qui statutum loci circa portionem coniugi ex statuto debitam et ad bona extra civitatem sita extendendum esse erudunt. Rationem adfert eam esse censent, quod quoniam coniuges expresse pacisci inter se de futura successione queant, id tacito veluti pacto inter eos agi videatur, vt sibi inuicem succedant, secundum ea statuta, quibus se domicilium constituendo submitserunt, vt non tam ad locum rei sitae, quam tacitam, conuentionem et obligationem personalem respiciendum sit. At cum hoc pactum implicitum non temere fingi, sed certa voluntatis coniectura, et facto ad consensum directo subniti debeat; in statutis enim fictio locum non habet

habet nec fingere homo priuatus potest Tit. in iur. Priu. l. i. c. 9. pag. 95. §. 11. haec opinio non promeretur ad sensum, meliori potius iure contrarium amplectimur, cui natura ipsius rei pariter quam legis dispositio adhsit. Generalis est regula Iuliani l. 14. ff. de legib. *Quod contra tenorem iuris est introductum, non est producendum ad consequentias*; quae sententia cum sit vera, cur ad statutum quatenus effectum legis haber, non sit adplicanda, nulla ratio dari potest. Cum enim statuta concedere sit iuris dictionis, sequitur quod quando iurisdictio statuentium cessat, sine dubio et cessare debeat statuti dispositio. Quo et facit, quod causa finita non possit producere effectum infinitum, sed sicut limitatur potentia causae, ita quoque debet limitari effectus. Atque potentia et auctoritas statuti, se non extendit extra proprios limites, ergo effectus se non potest extendere, sed potius cum statutum recedat a iure communi, strictissima interpretatio ex mente Iuliani locum habet, idque eo magis verum est, quoniam statuta localia ad eos, qui iuris dictioni magistratus oppidani non subsunt, haud pertinent, nisi vel ipsorum voluntate, vel auctoritate imperantis eo sint extensa Tit. in iur. priu. lib. VII. cap. I. §. 37. Carpz. III. C. El. XII. def. 16. Confirmat hanc sententiam Carpz. P. II. C. El. XIV. def. 53. no. 7. Lib. VI. Resp. 38. Wernher. P. VI. obs. Obs. 288. Hommel. Obs. 275.

§. IV.

Quid vero sentis de casu, si in statuto expresse dispositum, vt coniux partem rerum immobilium sub quacunque iurisdictione sint positae habere debeat, vtrum coniux superstes defuncta altera, partem immobilium quae extra ciuitatem

tatem sunt sita vi horum statutorum petere de iure, et huius rei causa actionem cum effectu instituere queat. Decisio huius causae est dubia, et in utramque partem non desunt argumenta. Pro affirmativa sententia forsitan militari videtur, quod verba statutorum quae strictissimam interpretationem admittunt, normam decidendi efficiant, qua propter si statutis expressè hoc additum, quod illa non solum bona immobilia, in loco ubi statutum datur, sed etiam extra locum sita concernere debeant, quod fit per clausulam die Gütther liegen auch gleich wo sie wollen, non improbabilis videtur sententia, secundum illud statutum causam esse decidendam, habent enim statuta et iura municipalia in iis ubi vigeant locis auctoritatem iuris communis *Carpz. P. II. C. El. XIV. def. 53. no. 1. et 2. P. III. C. XXIII. def. 2. no. 1. et 2* Negativa tamen non infirmis nititur rationibus, dummodo uti in praecedenti §. demonstraui considerare velis, quod statuta tantum ciues in eo loco ubi statutum viget obligari et solummodo de illis valere bonis, quae in eodem loco sunt sita. Quod si enim in loco ubi immobile est situm alia obtineat consuetudo vel statutum, quomodo quaeso statutum quod ad illum locum propter strictissimam interpretationem et deficientem iurisdictionem non potest extendi magistratum, qui separatam habet iurisdictionem cogere potest ut hoc sequatur, et a iurisdictione ipsi hac in parte competente inuitus decedat. Nec clausula die Gütther liegen auch wo sie wollen aliquid efficit, cum iurdictio semel rite acquisita et concessa, ab altero qui iurisdictionem extendere studet nulla ratione possit minui; quod tamen certe fieret, si clausulae tantum effectum attribuere vellemus. Nunquam enim efficere potest haec clausula, ut ob defectum iurisdictionis afficiantur bona extra territorium alibi sita, quod

quod confirmat praedictio. *Carpou. P. III. C. El. XII. def. 12. no. 7. et 8. lib. III. Tit. Resp. 13. n. 7.*

§. V.

Si rem vero paulo penitius considerare velimus, utique distinguendum erit, utrum Princeps statutum addita hac clausula, ut etiam bona extra ciuitatem sita concernat, confirmauerit, nec ne. Sin prius factum, non dubito, coniugem etiam parrem bonorum immobilium in alio loco ad eundem tamen superiorem pertinente, lucrari. Penes Principem etenim cum potestas ferendi leges consistat, in eius arbitrio quoque est positum, qualem legibus interpretationem dare, et quomodo easdem vel extendere vel refringere velit. Est itaque hac in parte statutum lex vniuersalis, cui iudex, cuius iurisdictione bonum immobile subiacet, obtemperare tenetur; Recessit enim eatenus Superior a regula iuris communis, quae alias in successione coniugum obtinet, et aliam dispositionem iuri communi contrariam dedit, cui sola enim voluntas Principis efficit legem, est obtemperandum. Sin autem posterius factum, ita ut haec clausula statuto, quod confirmauit sua auctoritate Princeps, non sit addita, contraria sententia omnino promeretur applausum. In hoc etenim casu sequimur regulam, quam in antecedentibus §§. veram demonstrari, statuta nempe strictissime esse interpretanda, conuenit etenim rationi iuris, quod ea, quae contra ius commune dantur et ius singulare constitunt, ad consequentias non sint extendenda. Cum itaque Princeps de bonis extra ciuitatem, cuius gratia hoc statutum quod inuoluit fauorem, nihil dixerit, sed potius hac in re, legem

B

commu-

communem approbauerit, liquido constat, coniugem ad successionem boni immobilis extra ciuitatem, quae ad statutum prouocat, et eo modo succedit, nunquam posse prouocare, siquidem casus in statuto omisus regulariter iuris communis dispositioni censetur relictus, quod non inique ex argumento legis 22. princ. ff. soluto matrimonio probamus, ait enim Ulpian: *si cum dotem daret pater, vel extraneus, in unum casum pepigit, vel in diuortium, vel in mortem: dicendum est in eum casum in quem non pepigit, esse mulieri actionem, cum quo asserto et conuenit l. 6. ff. de condition. caus. dat.* Si extraneus pro muliere dotem dedisset, et pactus esset, ut quoque modo finitum esset matrimonium dos ei redderetur, nec fuerint nuptiae sequutae, quia de his casibus solummodo fuit conuentum, qui matrimonium sequuntur, nuptiae autem sequutae non sunt, quaerendum erit, virum mulieri condictio, an ei, qui dotem dedit, competat. Et verisimile est in hunc quoque casum, eum, qui dat sibi prospicere; nam quia causa non sequuta, habere potest conditionem, quod ob matrimonium dedit, matrimonio non copulato, nisi forte euidentissimis probationibus, mulier ostenderit, hoc eum ideo fecisse, ut ipsi magis mulieri, quam sibi prospiceret. Hinc id, quod in statuto Dresdensi marito in bonis vxoris tribuitur, est speciale, et ad casum, quando vidua succedit, non potest extendi. De priori enim disponit statutum cap. V. §. 1. Daß der dritte Theil von denen unbeweglichen Güthern der Frauen, auf dem überlebenden Mann, sie mögen unter diesen oder andern Gerichte und Obrigkeiten gehören, mit vererbet und verlediget werden, ratione foeminae vero §. 8. dicitur: Wenn ein Ehemann vor seinem Eheweibe verstorbet, so soll einer jeglichen Ehefrau frey stehen, und ihr hierunter die Gerechte gelassen seyn, nach Conferirung aller ihrer Güther aus ihres Mannes

Mannes Erbschaft entweder den dritten Theil neben voller Gerade, oder ihr ein- und dem Manne zugebrachtes Gut zu nehmen. Cum itaque clausula, sie mögen unter diesen oder anderer Gericht und Obrigkeit gehören, tantum in fauorem mariti adiecta, respectu autem foeminae nihil dictum, liquido constat, hoc statutum inducta foemina ad bona extra ciuitatem Dresdenem sita non esse extendenda.

§. VI.

Ex his alia mouetur quaestio; quoniam nempe demonstrauimus, successionem in bona immobilia extra ciuitatem sita, quod Princeps cum clausula, wo die Güter sonst gelegen, non confirmauit haud valere, ex quo statuto successio sit diiudicanda? Sine dubio ad ius commune recurrendum esse constat. Secundum illud vero distinctio vtique valet, an de bonis mobilibus vel immobilibus sit sermo. In bonis mobilibus nempe semper sequimur statutum domicilii defuncti, quamuis in alio loco sit mortuus, et hac in parte agnoscimus auctoritatem *Carpzoni R. III. C. El. XII. def. 13. et 14. Stryk. de Success. ab intestato disp. i. c. 4. §. 5. Wernb. p. 3. obs. 237. Berger. in Oecon. Iur. lib. II. Tit. IV. not. 6.* Cuius rei ratio potissimum haec est, quoniam mobilia quasi ossibus cohaerent, et concernunt personam vbicunque illa sit, hinc l. 19. §. fin. ff. de Iudic. dicit Vlpianus: *Illud sciendum est, eum, qui ita fuit obligatus, ut in Italia solueret, si in Prouincia habuit domicilium, vtrubique posse conueniri, et hic et ibi, et ita Iuliano et multis aliis videtur.* conf. *Carpz. P. III. Const. El. XIV. defm. 54. def. 5. et 6. Hommel. Obs. 409. n. 4.* Ex hac ratione, quo-

quoque merito approbamus sententiam Carpz. lib. VI. Resp. 40. quod heredi, quando defunctus in diuersis locis habuerit domicilium electio quoad res mobiles competat, cum domicilium personae efficiat successionem, quam heres in quolibet loco petere potest. Interdum tamen contingit casus, quo defunctus certum domicilium non habuit, quomodo tunc sit procedendum dubium oritur, sed facilius erit decisio, dummodo ad diuisionem fori quod in iure agnoscimus respicimus. Duplex nempe dicitur forum, naturale, quod alio nomine vocamus originis, quoniam ex ipsa natura naturaliter venit, et tam ex propria quam parentis persona acquiritur, et accidentale, quod ex assumptione comparatur, et domicilium habitationis dici solet. Quod si itaque defunctus certum domicilium nempe habitationis non habuerit, solummodo respicimus ad domicilium originis, hoc enim semper est certum, et habet praerogatiuam, vt pro eo praesumatur, donec aliud habitationis domicilium probetur, accidens enim praesumitur in eodem statu, in quo semel fuit, persistere, nisi probetur mutatio. Conuenit hoc principiis praesumptionis, quae est actus, quo aliquid quod naturae rei, vel legibus conuenit, tamdiu pro vero accipimus, quamdiu contrarium nec existit, multo minus manifestis probationibus demonstramus. Ast ratione immobilium bonorum praevalent iura loci ubi sita sunt. Probat hoc *l. ult. C. ubi in remque. Actor, dicunt Imperatores, rei forum, siue in rem siue personam suactio, sequitur. Sed in locis in quibus res propter quas contenditur constitutae sunt, iubemus in rem actionem aduersus possidentem, moueri: Praesupposita itaque sententia, quod ad forum rei sitae in immobilibus bonis sit respiciendum, extra omnem dubitationem positum est; si bona immobilia in diuersis locis sunt constituta.*

stituta ad horum successionem in quolibet loco ubi sunt, esse respiciendum, cum illud forum efficiat normam decidendi et iurisdictio, cui defunctus ratione fundi est obligatus, heredes qui in eius iura succedunt, teneat.

§. VII.

Iure Saxonico P. III. Const. El. XX. respectu viduae si maritus decedat et relinquat liberos circa successionem dispositum inuenimus. Stirbt der Mann vor seinem Weibe, und läßt nach sich Kinder von der ersten und andern Ehe eines oder mehr, so soll sein Weib ohne Unterscheid ob sie reich oder arm nach Bezahlung der Schulden aus allen ihres verstorbenen Mannes übrigen Güthern einen vierten Theil nehmen und haben. Quodsi itaque uti in praecedentibus diximus, bona mariti immobilia sub diuersa iurisdictione sita vtrum ad hanc dispositionem Saxoniam ad euitandas difficultates, quae ex priori casu oriuntur prouocare, et a statuto recedere queat vidua oritur dubium. Distingendum vtique hoc in passu est, vtrum inter coniuges pacta dotalia ex quibus successio est determinata sint inita, vel vtrum et statuto loci certa portio sit praescripta. In priori casu recessum penitus nego et mulierem vt iisdem pactis pareat stringendam esse censeo, dummodo haec pacta legitime et legibus approbata forma sint confecta. Dum enim pactum nomine id praesuppono, vtramque coniugem in hanc conuentionem confensisse, est enim pactum duorum vel plurium in idem placitum consensus. Nec me mouet distinctio quam nonnulli circa pacta an inter viuos, vel vltima voluntate sint facta con-

situunt, et posterioribus instar vltimarum voluntatum ius
 reuocandi tribuunt, sufficit enim vtrumque esse pactum et
 ab vltimis voluntatibus quae vnus hominis declaratione ni-
 tuntur, penitus differre et effectum quem leges hisce con-
 uentionibus attribuunt retinere. Hic vero effectus is est,
 vt vnus dissensu non possint tolli vel mutari, secundum enim
 Principia iuris, nihil tam naturale est, quam vt aliquid eodem
 modo dissoluatur, quo coaluit. Cum itaque vidua, quae
 cum marito tale iniuit pactum, expresse eo consentit, vt por-
 tione ipsi assignata, contenta esse velit, nulla ratione ei
 competit potestas, in praeiudicium heredum qui post obi-
 tum defuncti ius quaesitum consequuntur, ab iisdem rece-
 dendi, et aliud lucrum, cui semel renunciauit petendi, ad se-
 mel enim renunciata non datur regressus. Eum in modum
 pronunciauerunt Icti: Ob schon des Orts ein statutum vor-
 handen, vermöge dessen der überlebenden Wittwen nach Abster-
 ben des Mannes die Helfte aller Güther ohne Unterscheid ob
 Kinder vorhanden seynd, oder nicht gebühret; dieweil ihr
 aber dennoch mit euren Ehemanne eine Ehestiftung aufgerich-
 tet, darinne er euch auf seinen Todesfall mehr nicht als den drit-
 ten Theil zueignet, welche Ehestiftung auch Gerichtlichen voll-
 zogen worden. So verbleibet es dabey billig und ihr seyd
 nunmehr von solcher Ehestiftung abzuweichen und vermöge
 selbigen Orts Willkühr die Helfte aus euren verstorbenen Man-
 nes Verlassenschaft zu fordern nicht befugt. Akt si portio
 certa ex statuto loci coniugibus debetur contraria sententia,
 quamuis dissensum Carpzoouii non ignoro, mihi videtur pro-
 hibetur, nec id quod a pactis dotalibus dicitur, in hoc casu
 obtinet locum. Non enim vt in pactis dotalibus fit, consen-
 tit foemina, quapropter id quod dicitur de pactis in hoc ca-
 su

si cessat, cum renunciatio foeminae, quae impediēbat recur-
 sum ad Constit. Elector. nec praesumi nec colligi possit.
 Multominus verba Constitutionis: So verordnen setzen und
 wollen wir: Wann zwischen Eheleuthen Ehestiftungen bere-
 det und aufgerichtet oder sonst des Ortes da der verstorbene
 Mann wohnhaft, wie es diesfalls gehalten werden soll eine
 Willkühr oder beständige Gewohnheit vorhanden und eingefüh-
 ret, daß demselben nachgelebet, und die Wittwe aus ihres ver-
 storbenen Mannes Güthern vermöge der Ehestiftung Willkühr
 oder Gewohnheit gebühlich abgefunden werden sollen, hoc
 probant. Cum enim lex Saxonica hac de re nihil dicat,
 multo minus expresse iubeat, vt vidua ab hac portione in
 statuto quae est determinata nullo modo recedere queat,
 quomodo poteris electionem quae viduae alias competit,
 denegare, duplex enim eius est successio, vel ex statuto, vel
 ex lege, duplicem itaque constituere poterit actionem, cum
 secundum regulam iuris, quoties duo remedia ad eundem
 finem quae tendunt, actori competunt, toties datur facul-
 tas actori vnum eligere, quod ipsi videtur proficuum. Ar-
 gumentum quoque quod huic asserto afficit, suppeditat lex
 ipsa, cum enim in casu si liberi existant, electio detur foe-
 minae vtrum illata repetere vel quartam partem hereditatis
 habere velit, quod probant verba: Jedoch soll der Frau in
 allen Wegen frey stehen, ob sie zu ihren eingebrachten Guthe
 oder aber nach Gelegenheit der Fälle zu dem vierten oder drit-
 ten Theile greifen will, nulla datur ratio, cur viduae si ex
 statuto quod effectum legis habet, denegamus electionem,
 eamque, vt stricte inhaereat portioni statutariae stringamus,
 dummodo id quod circa collationem propriorum honorum et
 geradam lex disponit, quae bona ad diuisionem communem,
 iuxta verba soll die Frau alle ihre eingebrachte anererbt und
 andere

andere Güther zusamt der Gerade in die gemeine Theilung
zu bringen schuldig seyn, praestet.

§. VIII.

Quod si igitur placeat vxori ex statuto portionem petere, noua oritur quaestio vtrum mariti heres sit putanda, quae est quaestio principalis ex qua decisio nonnullorum casuum dubiorum dependet. Adfirmatiuam sententiam agnoscit Hommelius Obs. 410. et rationem duplicem esse putat, 1) quia omnis successio vel vniuersalis, vel particularis est, et tertium genus non datur, ideoque cum non rem singularem, sed quotam vniuersitatis iurium vidua capiat, non legataria sed heres dicenda sit. 2) Quod portio statutaria originem debeat Nouellae 117. c. 5., atqui huius partis dicatur heres. Negatiuam sententiam tenet Wernh. P. I. Obs. 325. cuius ratio vtique mihi fortior videtur. Si enim vidua portionem ex statuto loci accipit, quod nullum dubium eandem non iure vniuersali, sed iure proprio accipit. Si vero iure proprio eandem portionem sibi vindicat, nunquam proprie succedit iure vniuersali, hinc pro herede non est habenda; hinc falso fundamento nititur decisio quam defendit Hommelius, quod vniuersitatem iurium capiat vidua, conf. Carpz. P. II. Constit. El. XXXII. def. 22. no. 5. Macv. ad Ius Lubec. P. II. tit. 2. Art. 12. num. 244. sequi. Quo praesupposito in promptu est decisio, an vidua ad aes alienum mariti sit obligata. Adfirmatiuae sententiae accedit Coler. P. I. dec. 62. n. 13. quippe quae viduam pro rata portionis statutariae quam accipit, ad aes alienum exsoluendum

strin-

stringit, quam et sequitur Hömmelius in Promtuariorum iuris Bertochiano T. II. pag. 1900. Sed ex praesupposito quod petitionem Principii inuoluit, nempe quoniam vidua iure vniuersali succedat marito, quod vero vti in prioribus demonstratum adhuc probatione eget; nec ex ratione quoniam non quantam sed quotam totius patrimonii partem consequitur vidua non probatur. Vti enim dixi, vidua iure proprio portionem determinatam et ipsi vi statuti concessam petit, eam ob causam proprie non potest dici heres. Cum igitur tantum illi qui vere sunt heredes, et in iura et obligationes defuncti succedunt, pro ea parte qua heredes sunt defuncti debita exsoluunt, et creditoribus tenentur, in aprico est positum a vidua, tale quid desiderari non posse; sed quando creditores contra viduam hac ex causa agunt, illis obstat exceptio deficientis fundamenti agendi, quae efficit ut creditores cum refusione expensarum recedant, ita enim pronunciauerunt Icti Witteberg: Daß gestaltten Sachen nach in Ansehung, daß Klägers selbst eigenen Anzeichen nach Beklagtin Principalis portionem statutariam erkieset, also eigentlich vor ihres verstorbenen Ehemannes Erbin nicht zu achten, die erhobene Klage nicht statt hat. Bona hac in parte est sententia. Wernh. P. V. Obs. 320. qui dum negat creditoribus competere actionem, hanc tamen addit limitationem quod heredibus, contra viduam, quae nondum facta aeris alienis deductione portionem accipit, regressus aduersus viduam competat ratamque eius per conditionem indebiti repetere non prohibeantur, addita ratione, quia portio statutaria non nisi deducto aere alieno debebatur adeoque vidua plus iusto accepit. Quam sententiam et confirmat Carpz. P. III. Const. El. XX. def. 46.

Exinde noua oritur quaestio, vtrum augmentum, quod hereditati post mortem defuncti accedit, portionem statutariam augeat? Fingamus casum, decedit Titius et eius hereditas eo tempore quo moriebatur decem millia thalerorum continet. Ex post facto vero accedit per alluionem vel casu fortuito v. g. per thesaurum quem inueniunt heredes, augmentum, propter quod massa hereditaria crescit; vidua cui in statuto certa portio est relicta, agit contra heredes, et vt augmenti particeps fiat, petit, an actio, quam idcirco instituit locum habeat, non immerito quaeritur. Plurimi hac in parte distinguere volunt inter accessiones extrinsecas, ad quas id quod per alluionem vel per thesauri inuentionem contingit refertur, et intrinsecas, quarum nomine fructus veniunt. De prioribus negant, quod hoc augmentum, accedat portioni statutariae eandem que augeat, et argu-
mento l. 44. ff. §. 2. de bon. libert. Si ex bonis quae mortis tempore fuerunt, debitam partem dedit libertus in hereditate vel legato, seruus tamen post mortem liberti reuersus ab hostibus augeat patrimonium, non potest patronus propterea queri, quod minus habeat in seruo, quam haberet, si ex debita possessione esset institutus. Idem est et in alluione, cum sit satisfactum ex his bonis, quae mortis tempore fuerunt. Respectu intrinsecarum accessionum vero ratione sc. fructuum contrariam adfirmant sententiam, ex ratione quod accessiones sequantur principale; quam sententiam confirmat. *Carpzov. P. III. C. El. XX. def. 22. Berger in Oecon. lur. lib. II. Tit. IV. pag. 473. not. 8. Hommel in Pronuntuario Iur. Bertochiano T. II. pag. 1398.* Sed merito dubito vtrum haec distinctio, quae sola opinione Doctorum nititur mereatur adplausum, potissimum,

simum, cum naturae rei penitus contraria sit. Consideres enim viduam, cui ex statuto determinata est certa pars ex bonis defuncti, inter heredes nunquam esse numerandam sed ea portione quae ipsi semel est constituta, contendam esse debere. Non igitur respicit ad hereditatem, sed illud quantum quod per statutum est semel determinatum petit, et de iure petere potest. Cum vero emolumenta, quae hereditati accedunt, siue sint extrinseca siue intrinseca, solummodo ad heredes, qui in iura et obligationes defuncti succedunt, pertineant, liquido constat, ad viduam quae id habet quod ei concessum erat, hoc augmentum nunquam pertinere, inter heredes enim minime refertur, sed statutum mutat ius commune, et nouum aliquid introducit, in quo regulas succedendi non sequimur. Nec mouet, quod mora heredum, per quam factum est vt satisfactionem nondum consecuta fuerit, ipsi non nocere queat, eo enim casu obueniente vt ad interesse agere et id ab heredibus exigere possit nullum remanet dubium.

§. X.

Facilis ex his erat decisio quaestionis. Decedit Caius superstes et coniux, et adhuc in viuis sunt duo filii, in bonis mariti est fors, quam defunctus ex Lotteria sibi comparauit, post diem tricesimum, defuncti haec fors, ne amittatur lucrum quod fors hereditati accedere potest, ex massa hereditaria renouatur. Felix euentus respondet voto heredum. Sententiunt per hanc sortem lucrum et massa hereditaria hoc modo maximopere augetur. Quo facto vidua ab heredibus vt ipsi, tertia pars detur et portioni ex statuto com-

C 2

petente

petente accedat, desiderat, num haec petitio iuri respondeat, et cum effectu infirui possit mouetur quaestio. Si vera est sententia viduam quae suam partem ex statuto accipit non esse heredem mariti sed proprio iure eandem habere, nulla alia quam negatiua sententia dari potest, cum id quod hereditati postea accedit, tantummodo ad heredes pertineat, et inter illos pro rata sit distribuendum. Sed putarem tamen limitationem quandam esse admittendam, vtrum heredes ex massa hereditaria renouationem fortis susceperint, vel an foemina ex suis bonis renouandae fortis causa, aliquam partem contulerit. Sin prius, insisto sententiae, viduae hoc in casu nihil debere, cum sub notione hereditum non comprehendatur. Sin vero posterius partem aliquam huius lucri ad viduam pertinere existimarem. Dum enim heredes passi sunt vt vidua id praestet, quod alias a solis heredibus erat praestandum, eandem tacite facto suo hac in causa pro herede agnouerunt, et vt commune sit lucrum consenserunt, cum illis non ignotum erat, quod is qui onus sentit, etiam lucrum percipere debeat.



Leipzig, Diss., 1781


ULB Halle

005 361 443

3







9217

1781, 27

DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
SVCCESIONE STATVTARIA
CONIVGVM

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. O. ECCLES. CATHEDR. MERSEB. CAPITVL. CVRIAE
IN PROVINCIA SVPREM. ADSESSORE, FACVLT. IVRID. SENIORE
ET ACADEM. DECEMV.

PRO SVMMIS IN VTOQVE IVRE HONORIBVS CAPESSENDIS
IN AVDITORIO ICTORVM

A. D. XXV. SEPTEMBR. MDCCLXXXI.

PVBlice DEFENDET AVCTOR ET RESPONDENS

CHRISTIANVS ERNESTVS VLRICI

DRESDENSIS.

LIPSIAE

EX OFFICINA LOEPERIA

